



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in iudicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1708

S. 13. Quid tenendum de locatione commoditatis rerum Ecclesiasticarum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73045)

c. 18. n. 4. dixi *emphyteusim*; nam aliud est *de feudo*; hoc enim nunquam ad filios, & heredes transit, sed ad *agnatos*, ut notat Castropal. cit. §. 4. in fine.

§. 13.

Quid tenendum de locatione commoditatis rerum Ecclesiasticarum?

1257 **S**ermo est de locatione *ultra triennium* earum rerum, quæ ultra hoc tempus, sine juris solemnitate locari non possunt, ut constat à n. 1171. quod intellige de triennio non *temporis*, sed *fructuum*. Nam si alicuj ad triennium locata sit v. g. vinea Ecclesiæ, & locatarius solum primo anno exinde percepit fructus, non autem duobus reliquis (quod essent anni steriles, & infocundi) posset locationem continuare adhuc biennio, vel etiam ultra, dum verum sit, finitum esse triennium *frugiferum*; Sic Navarr. in Comment. de alienat. rer. Eccl. à n. 21. Covarr. 2. Variar. c. 16. n. 6. Vallensis. h. t. n. 4. & alii.

Quoniam vero quandoque contingit, res quasdam Ecclesiæ, longius distitas, non æquè commodè, ac fructuosè administrari posse ab ipsis Ecclesiis, hoc est, eorum Rectoribus, quibus ex officio incumbit administratio talium bonorum; & utilius fore illis, si alicui, qui vel vicinus est, vel in vicino alia bona habet, locarentur, sapius dubitatum fuit, an, si non *res*, sed sola *commoditas* rei locaretur alicui, etiam ad plures *triennio* annos, ageretur contra prohibitionem de rebus Ecclesiæ non alienandis per locationem *ultra triennium*?

1258 **D**ifficultas est, quid hic importetur per locationem *commoditatis*? ne coincidat cum locatione *rei* fieri prohibita; consequenter ne, in fraudem legis, re ipsa sit locatio solum *palliatæ*, quæ Constitutionibus Apostolicis interdicta est, ut constat ex dict. P. Paulus Rosmer de contract. §. de Clericis q. 2. illar. 4. per *commoditatem* intelligit, facultatem alicui concessam ad fructus, ex tali re percipiendos, nomine locantis, seu conceden-

tis; non autem nomine ejus, cui locatur, vel conceditur.

1259 **A**lii, hanc *commoditatis locationem* constituunt in quadam conventionione, quæ is, ad quem res (*vineæ* v. g.) pertinet, convenit cum alio, ut illam colat, laboret, prout requiritur, ut fructum reddat; & ex fructibus, quos nomine ipsius Domini collegerit, *tantum* (expressâ certâ quantitate) annuatim Domino præster; reliquum sibi habeat in compensationem laboris, ac expensarum, quas alioquin rei Dominus, conductis operis, facere debuisset magna incommoditate. Hac enim conventionione accedit utrique *commoditas*; (seu utilitas) & *Cultori*, faciendo sibi lucrosam laborem suum, & vigilantiam pro conservanda, vel etiam promovenda rei fecunditate; & *Domino*, habenti in illo locatario majorem in propinquo vigilantiam pro bono fundi sui, liberato ab itineribus, & negligentia operarum, quæ communiter sunt absente Domino, fructum annuum rei suæ, &c. quib. positis:

1260 **V**iderur omnino dicendum, locationem *soliis commoditatis*, sic explicatæ, etiam si fiat *ad plures annos*, etiam *sexennio*, etiam sine juris solemnitate, ceteroquin in locationibus rerum Ecclesiasticarum servari præceptâ licitè fieri; & ita tenet P. Rosmer. loc. cit. dicens: licitum esse elocare ad tempus *longum*, etiam *ad tempus vite*, rem Ecclesiasticam, *quoad commoditates*, ac *fructus percipiendos nomine locantis*; non autem *nomine ejus, cui locatur*. Nam sola concessio, quæ nullum rei Ecclesiasticæ immobilis, vel mobilis pretiosæ dominium transfert in alterum, non est illicita, esto fiat sine juris solemnitate, ceteroquin servari præceptâ; sed locatio *commoditatis sic explicatæ*, nullum transfert dominium rei Ecclesiasticæ immobilis, vel etiam mobilis pretiosæ; præstat enim hoc duntaxat, quod ille locatarius nomine locantis colligat fructus rei; & inde sibi capiat solutionem operarum, & expensarum in eam rem factarum, sublevandi Ecclesiæ, vel Monasterium à multis molestiis, si per alios id curare debuisset, ut dictum est; ergo.

AR-